

vna, Optica: altera, Physiognomia  
 nuncupatur. Illa modū bene videndi, hoc  
 est, rerum visibilium naturas, differen-  
 tias, & affectiones recte diiudicandi: hæc  
 modum ex signis externis internas & oc-  
 cultas corporis animati affectiones inda-  
 gandi & cognoscendi profitetur. Utraq;  
 præclarum Dei donum est: totiusque Phi-  
 losophiæ lumen & decus admirabile. U-  
 traque ad comparandam sapientiam, re-  
 rumq; abstrusiorum scientiam viam mon-  
 strat planam & expeditam. Ac de Opti-  
 ca quidem neminem esse arbitror, qui  
 hoc negare audeat: nisi plane in rerum,  
 circa quas hæc ars versatur, cognitione  
 sit, cæsus & plumbeus. Hæc enim visus,  
 qui inter omnes sensus externos princi-  
 patum obtinet, naturam, causas & spe-  
 cies luculenter explicat. Hæc omnium  
 phasmatum & spectrorum naturalium,  
 quæ oculis nostris, siue in cælo stellato, si-  
 ue in aere, siue in aqua, siue in terra oc-  
 currunt veras rationes aperit. Hæc omne

falla